

P A R S T E R T I A
DE GENERALIBUS SACRORUM CANONUM
PRÆCEPTIS A COLLATORIBUS
IN IPSA COLLATIONE OBSERVANDIS.

Huc potissimum referri potest tit. 14. lib. 1.

Generalia Canonum præcepta à Collatoribus observanda, ad tria capita commodè reducuntur; vel enim spectant beneficium ipsum, vel beneficiarii instituendi personam, vel denique personam ipsam conferentis.

Quòd in primis ad beneficium ipsum pertinet, non aliter sanè istud conferri poterit, nisi sit vacans; quod adeo verum est, ut ne illa quidem collatio substineatur, quæ facta sit beneficio non vacante, utut suspensus fuerit in tempus vacationis ejusdem collationis effectus; siquidem periculosum, ac triste est, beneficiarii mortem expectare, cap. 2. de concess. præbendæ. Imò quidquid olim vigeret, hodie post saluberrimam Bonifacii VIII. constitutionem etiam interdictum adparet, ne generaliter beneficium primò vacaturum, quodecumque illud sit, alicui conferatur, cap. 2. de concess. præbend. in 6. Jamdiu veteres canones visi sunt perpetuò remove à beneficio eum, qui beneficium nondum vacans acceperit, can. 7. caus. 2. quæst. 1., can. 10. & 40. caus. 7. quæst. 1., cap. 1. & 2. de concess. præbend. His vestigiis inhærentes Romani Antistites regulam ediderunt 21. inter regulas Cancellariæ, qua statuerunt, nullius roboris, vel momenti existere quamcumque provisionem, aut dispositionem beneficii necdum vacantis, quod impetratum ab aliquo fuisset tanquam vacans, etiam si deinde vacaverit, & impetrans novis precibus idem beneficium obtinuerit. Quòd si certis in

casibus ecclesiastica utilitas suadeat, nondum vacans beneficium alicui esse promittendum, ad Pontificem Maximum pertinebit de causa cognoscere; atque ubi personarum adjuncta quamcumque suspicionem ambitus æquè, ac voti captandæ mortis amoveant, Summus idem Pontifex vacatura beneficia à die demùm vacationis obtinenda concedet, cap. 2. de præbend. in 6. Hinc quamquam in Concilio Tridentino sess. 24. de Reform. cap. 19., omnes gratiæ expectativæ in Romana etiam Curia impetratæ sublata fuerint, quotidiana tamen consuetudo docet, coadjutores cum jure futuræ successionis solere constitui, cum interesse ecclesiasticæ rei quandoquæ possit, beneficiario aut ægrotanti, aut senio confecto coadjutorem dari, & tùm optimus quis coadjutor inveniat, cum fiducia contrahatur futuræ in beneficio successionis. Hujusmodi coadjutorum constitutio, uti liquet, exhibet dispensationem à generali lege; ab ea, inquam, lege, quæ in jure naturali, atque in ipsis gentium juribus fundamentum habet, uti legimus in dicto cap. 2. de concess. præbend., edita ad avertendum ambitum, & quod magis est, ad votum avertendum captandæ mortis. Quamobrem cautè in proposito agendum est, ne aliàs ad eam dispensationem deveniatur, quam si eæ saltem probabiles concurrant conjecturæ, quibus facilè quis sibi persuadeat, & ambitum, & votum captandæ alienæ mortis cessare, Hinc factum est, ut hodie non

non concedantur coadjutoria hujus generis, nisi consentiente titulari, quasi consensus iste minuat suspicionem voti captandæ mortis, eatenus, quatenus præsumitur, titularem non consensurum, nisi ejus gratia, cujus benevolam sibi animum esse credat. Sed vereor, ne hoc prætextu beneficia hereditariæ quodammodò successionis subiaceant, cum coadjutoria cum futura successione exinde iis facilè concedantur, quos titularis ipse designaverit, contra sacros canones, cap. 5. de pactis. Hinc providè Tridentinum Concilium in cap. 7. sess. 25. de Ref. postquam constituerit, ut nemini permitterentur coadjutoria cum futura successione, ut omnis imago hereditariæ successionis à beneficiis removeretur, subjunxit, siquando urgens necessitas postulet coadjutorem dari, non aliter id fieri, quam causa apud Romanum Pontificem cognita diligenter, & quam si constet in coadjutore concurrere qualitates omnes, quæ ipsum dignum beneficio reddant. Coadjutores ita constituti propriè beneficiarii non sunt, imò nec in beneficii possessione esse dicuntur, cum tantùm habeant jus ad beneficium, cum primùm istud vacaverit. Quamobrem nec regula de annali, nec regula de triennali possessione tueri se possunt; item nequeunt seseingere aut ignorante, aut invito titulari in beneficii fructibus; quemadmodum nec ratione beneficii dici possunt subditi illi Episcopo, in cujus Ecclesia coadjutoris officio funguntur, quam ratione domicilii, quod apud eam Ecclesiam contraxerint, obnoxii sint. Habent tamen coadjutores isti quandam beneficiariorum speciem, sive in eo, quòd unà cum coadjutoria beneficii residentialis alterum residentiale beneficium possidere nequeant, cum coadjutor non possit utrique residentia satisfacere, sive in eo quòd teneantur postulante titulari muneribus beneficii satisfacere, sive in eo, quòd à nemine excludi possint ab eisdem beneficiis muneribus obeundis no-

mine titularis, unde si de dignitate, aut Canonicatu agitur, locum in conventu tenent, seu dignitati, seu Canonicatui debitum; sive in eo, quòd initio coadjutoria susceptæ quandam Sedis possessionem capiant, utut obeunte titulari iterum in plenam possessionem indicantur, quin opus illis sit novo titulo: siquidem mortuo titulari, statim & sine alicujus facto hujusmodi coadjutores veri beneficiarii esse incipiunt, quasi beneficium aut non vacaverit, aut vix vacavisse brevi temporis momento censetur.

Ex parte quoque beneficiarii plura requiruntur. Et quidem in primis ætas legitima, quam juxta qualitates varias beneficiorum variam etiam sacri canones constituerunt. Sanè quousque beneficiorum collatio collationi ordinum fuit adnexa, eadem ætas & suscipiendis ordinibus, & impetrandis beneficiis requirebatur. Sed separatis collationibus, statim non dubitaverunt collatores aliquando beneficium conferre etiam puerulis qui muneri ecclesiastico exequendo adhuc impares essent. Idcirco Concilium Claromontanum anno 1093. in can. 1. dist. 60. statuit, ne quis Archidiaconus fieret, nisi Diaconatus, ne quis Archipresbyter aut Decanus, nisi Presbyteratus ordinem suscepisset. Adde canones 2. & 3. ejusdem dist. 60. Hac vigente disciplina nulla specialis ætas adhuc consequendis beneficiis erat præstituta, sed tantùm illa necessaria videbatur, quæ ordini beneficio adnexo congrueret. Primùm in Concilio Lateranensi sub Alexandro III. cautum adparet, ne quis eligeretur in Episcopum, nisi jam trigesimum ætatis annum exegisset; item ne quis in Archidiaconum, Decanum, aut Parochum assumeretur, nisi qui annum vigesimumquintum attigisset, cap. 7. de elect., quod confirmasse visi sunt Tridentini Patres in cap. 12. sess. 24. de Reform., ubi in primis decretum legimus, ne quis ad dignitates aliquas, & beneficia, quibus cohæret animarum cura,

ra, promoveatur, nisi annum vigesimum-
quintum attigerit; deinde, ne quis dig-
nitates illas, vel personatus, quibus nul-
la inest animarum cura, consequatur,
qui minor sit annis duobus supra vigin-
ti; præterea, ne quis Canonicatum, aut
portionem in Ecclesia Cathedrali obti-
neat, nisi eam sit nactus ætatem, quæ
requiritur ad ordinem Canonicatui, vel
portioni exercendæ adnexum, ea sub-
jecta declaratione, qua intelligatur, Ca-
nonicatus, vel portiones Cathedralis Ec-
clesiæ non nisi Presbyteris, aut Diaconis,
aut Subdiaconis, numquam autem infe-
rioris gradus Clericis posse concedi. Exin-
de liquet, in dignitatibus, vel persona-
tibus cujuscumque Ecclesiæ requiri an-
num vigesimumsecundum, non quidem
inceptum, sed completum, ob perspi-
cua Tridentini verba ibi: & 22. *annis non
minores*, quemadmodum & declaratum
fuisse testatur Fagnanus ad cap. *Inter cæ-
tera* de offic. jud. ordin. At verò in Ca-
nonicatibus Ecclesiæ Cathedralis videtur
sufficere ea ætas, quam qui natus est,
potest intra annum ad sacrum ordinem,
quem Canonicatus postulat, promove-
ri, juxta id, quod traditur in Triden-
tino Concilio sess. 22. cap. 4. de Re-
form. Dubitabis fortè de Canonicatibus
aut portionibus Ecclesiarum Collegia-
lium. De istis altum silentium est in
dicto cap. 12. Tridentino. Propterea ad
ea beneficia non videtur eadem porrigi
disciplina; sed sufficet, Canonicum Ec-
clesiæ Collegialis in ea constitutum æta-
te esse, quam cætera beneficia minora
requirunt, nimirum annorum saltem qua-
tuordecim, juxta caput 6. Tridentinæ
sess. 23. de Reform., nisi tamen aga-
tur de Canonicatibus, quibus ex fun-
datione, aliove titulo onus Missarum ce-
lebrandarum, legendi Evangelium, aut
Apostolum incumbat; hac enim in spe-
cie talis ætas desideratur, qua intra an-
num beneficiarius valeat per sacri ordi-
nis susceptionem idoneus fieri sacro mu-
neri exequendo, juxta dictum caput 4.
sess. 22. Advertendum tamen ibidem vo-

lunt Tridentini Patres, neminem ex Ca-
nonicis etiam in Collegiali Ecclesia cons-
titutum posse vocem in Capitulo habe-
re, seu, quod idem est, suffragium fer-
re quousque saltem Subdiaconatus or-
dinem non susceperit, etiam si id liberè
fortè ab aliis Canonicis concederetur,
Clement. 2. de ætat. & qualit. præfic.

Præter ætatem in eo, qui est benefi-
cium adepturus, observandum insuper
est, an eo ordine ecclesiastico sit insigni-
tus, qui necessario beneficio juxta ip-
sius qualitatem adhæret. Bifariam autem
potest ordo adhære, vel actu, uti
loquuntur Pragmatici, vel habitu: vi-
delicet actu, quando his, cui benefi-
cium confertur, tempore collationis jam
in ordine constitutus esse debet; habitu,
seu potestate, quando sufficit, beneficia-
rium intra certum tempus, ut plurimum
annum, initiari. In his causis potissi-
mum erunt investigandæ formulæ, quæ
in tabulis foundationum exhibentur; nam
si ex. gr. diceretur in tabulis fundatio-
num, beneficium conferendum esse illi,
qui Missam per hebdomadam celebret,
non dubitarem, quin beneficium actu
Sacerdoti conferendum esset; viceversa
si deffinivisset Fundator, Missam qui-
dem esse celebrandam à beneficiario, da-
ta tamen facultate munus sacrum obeun-
di per substitutum, quoties impedire-
tur, nec dubitarem, qui beneficium
etiam non Sacerdoti conferri posset dum-
modò hic intra certum tempus Sacerdo-
tium consequeretur. Agitur in his, aut
similibus casibus de impetratione non ju-
ris, sed voluntatis fundatoris, quæ inter-
pretatio ex arbitrio prudenti Judicis pen-
det, pro singulis rerum, & causarum
adjunctis probabilem sententiam pronun-
ciaturi. Certum hoc tempus ad annum
usque solet prorogari, cap. 14. de elect.
in 6., Clement. 2. de ætat. & qualit.
præfic., dicto cap. 4. sess. 22. in Con-
cilio Tridentino; atque id tempus incipit
numerari à die pacificæ possessionis in
beneficio obtentæ, ita ut si fortè quis
ultra annum differat ordinari, non spon-
tè,

tè, aut negligentia, sed quia legitimè im-
pediatur, non ideo à beneficio cadat,
quemadmodum declaravit Bonifacius
VIII. in cap. 35. de elect. Profectò ubi
quis ultra annum promoveri se ad or-
dinem negligat, si de beneficio Paro-
chiali agatur, ab eo cadit ipso jure,
cap. 14. de elect. in 6. Si verò aga-
tur de aliis beneficiis etiam in Colle-
giata, aut Cathedrali Ecclesia constitu-
tis, monendus negligens erit, & non-
nisi contumax beneficio per sententiam
Judicis spoliandus, cap. 22. eod. in 6.
juncto cap. 7. vers. *inferiora* eod. apud
Gregorium IX. Excipe tamen Priora-
tum Conventualem; etenim hic ex sen-
tentia Clementis V. Parochialibus benefi-
ciis æquiparatus est in hac parte ita,
ut statim & ipso jure amittatur, Cle-
ment. 1. vers. *cæterum* de statu monach.
Si quæras de fructibus intra annum per-
ceptis, respondet Bonifacius VIII., il-
los restituendos esse, quoties eo animo
percepti fuerint, ut intra annum ab or-
dine suscipiendo abstineretur, imò etiam
collatorem beneficii, si fraudis conscius
fuerit, teneri Ecclesiam indemnam ser-
vare, cap. 35. de elect. in 6. Inde con-
jicere juvat, quoties nulla intercesserit
fraus, ad restituendos fructus, bona fide
perceptos, ac consumptos beneficiarium
non adstringi. Non est hoc in loco omit-
tendum, quod gratia studiorum cavit
idem Bonifacius in cap. 34. eod. tit.,
nimirum voluit, eum, cui collatum sit
beneficium Parochiale, posse per sep-
tennium scholasticis studiis vacare, ac-
cedente dispensatione Episcopi, dum-
modò intra annum Subdiaconatus ordi-
nem suscipiat, & interea Parochiali be-
neficio idoneus Vicarius præstituitur;
elapso autem septennio, intra annum
Presbyteratus ordine initiatur. Non de-
fuerunt, qui putarent, id sublatum fuisse
à Concilio Tridentino in sess. 7. cap. 12.
de Ref. Ego verò video, disciplinam il-
lam, & dispensationem potius fuisse con-
firmatam dum Tridentini Patres cum
intra annum coërcuerunt *facultates de non
promovendo*, tum exceptionem adjecerunt,

præterquam in casibus à jure expressis. Ad-
fert quidem Barbosa de officio, & po-
test. Parochi parte 1. cap. 5. num. 22.
Sacrae Congregationis decretum, quo
nonnullorum contra sententium opinio-
nem confirmet. Sed vereor, ne decre-
tum illud, quod non integrum exhi-
betur, non ea, qua decet, interpreta-
tione donetur. Fortè enim pertinere po-
terit ad speciem constitutionis Pii. IV.
promulgatæ in Romana Cancellaria an-
no 1564. die 4. Novembris, qua decla-
ratum est, neminem posse ea facultate
uti, nisi Ordinarii dispensatio accesserit.
Requiritur etiam in eo, qui benefi-
cium suscipit, rerum sacrarum doctri-
na, ea scilicet, quæ ad implendum mu-
nus beneficio adnexum sufficiat. Hinc
ex. gr. in Parocho ea necessaria erit,
qua fideles sibi creditos instruere valeat,
& Sacramentis ritè rectèque administran-
dis vacare: in Canonicis Cathedralium
Ecclesiarum ea necessaria videtur scien-
tia, atque prudentia, qua consilio suo
Episcopum adjuvare valeant, & Sede
vacante vice Episcopi Ecclesiam regere,
quemadmodum innuit Concilium Tri-
dentinum in sess. 22. cap. 2. de Reform.
Imò aliquibus in beneficiis, præsertim
dignitatibus Cathedralium Ecclesiarum,
requiritur, beneficiarium esse Magistrum
in sacra Theologia, vel Doctorem in
jure Canonico, vel saltem Prolytam in
alterutra facultate, quemadmodum de
Archidiaconatu, & Pœnitentiaria ex-
pressè deffiniverunt idem Tridentini Pæ-
tres in cap. 8. & 12. sess. 24. de Re-
form. His coherent, quæ deffinita de-
prehenduntur in regula 20. Cancellariæ,
nimirum nemini posse conferri Parochia-
le beneficium, vel quovis modo curæ
animarum adnexam habensexercitionem,
nisi intelligat, & loqui sciat idioma lo-
ci, ubi Ecclesia, seu beneficium con-
sistit. Non persequor cæteras, quæ in
beneficiariis requiruntur, qualitates. Tan-
tùm dico generaliter, à beneficiis exclu-
di irregulares; quorum numero quinam
habeantur, tradetur in Commentariis
ad librum 5. decretalium.

Ratione collatoris illud in primis requiritur, ut simoniæ vitium omninò declinet, can. 21. & passim caus. 1. quæst. 1., sive, ut ajunt, à manu, sive à lingua, sive ab obsequio, can. 8. vers. *Ideo qui easdem caus. 1. quæst. 3., cap. 6. de pactis, cap. 20. & passim de simon. Sed de hac re opportunius agendum erit in Commentariis libri 5. Deinde cavere debent collatores, ne pro lubitu suo Clericos Clericis præferant, id est dignioribus minus dignos, dantes locum humanis affectionibus, scituri, se summo Deo rationem reddituros minus fidelis administrationis. Non opus probationibus in hac re. Paucis dico: Prælati Ecclesiæ non suum, sed Ecclesiæ, sed Dei ipsius negotium gerunt in administris seligendis. Dispensatores sunt à Deo ipso constituti*

in utilitatem Ecclesiarum, non in commodum sui, aut familiarium, vel necessariorum. His principiis perpetuò adhæserunt Sancti Patres, qui in ordinatione ministrorum, cui olim collatio beneficiorum cohærebat, rem gravissimam se gerere profitebantur; & licet hodie collatio beneficiorum à collatione ordinum sejuncta sit, idem tamen, qui olim erat finis adparet, idemque scopus, cum per beneficiarios potissimum sacra officia in Ecclesia & geri debeant, & gerantur. Alta mente reponant Prælati auream illam Hadriani VI. sententiam apud Papirium Massonum in vitis Pontificum, agentis, non beneficia hominibus, sed beneficiis homines dandos esse; tum verò muneri suo satisficient.



DISSERTATIO SEXTA DE ONERIBUS, ET JURIBUS CLERICORUM, QUI BENEFICIA OBTINUERUNT.

CAPUT I.

De oneribus & juribus, quæ spectant spirituale munus beneficio adnexum.

Huc referendi sunt tituli 3. 6. & 41. lib. 3.

NUllum potest esse beneficium ecclesiasticum, quod sacri cujusdam officii non habeat onus adnexum, cap. ult. de rescript. in 6., quod quale esse debeat, vel tabulæ foundationis, vel lex scripta, vel uniuscujusque beneficii qualitas singularis perspicuè demonstrabit. Ex qualitate beneficii, ut

exemplum tradam, ad Episcopos pertinebit Clericos ordinare, fideles baptizatos Sacramento Confirmationis communitate, divinum prædicare Evangelium, atque omnia, quæ diocesanam curam spectant, negotia gerere; quemadmodum ad Parochos, Sacramenta subjectæ plebi conferre, aut ad Canonicos consilium postulanti Episcopo præbere, publi-

blicè divinas laudes persolvere. Ex tabulis foundationum onera illa beneficiariis imminet, & jura, quæ fundator ipse etiam præter qualitatem erecti beneficii præstituerit. Non est, eur immerer in re vulgatissima, præsertim quòd in commentariis istis passim tradita fuerunt pro opportunitate rerum, quæ petrantur, quæ, & qualis singulis beneficiariis competant. Nonnulla dumtaxat attingam de singularibus duobus oneribus, quibus omnes ferè indiscriminatim beneficiarii subjacent, nimirum de obligatione & divinas laudes horis canonicis persolvendi, & residendi in Ecclesia, in qua beneficium erectum est.

Antiquissimum esse usum divinarum laudum à Clericis horis Canonicis persolvendarum, nemo est, qui dubitet, cum, ut ait Ivo Cartonensis in epist. 318., ad id instituta sit militia Clericalis, ut *Psalmodia, & hymnodia quotidianum Deo offerat sacrificium.* Psalmodiæ nocturnæ, matutinæ, & vespertinæ mentionem fecit Justinianus in l. 42. §. 10. cod. de Episc. & Cleric., & auctor vetustus constitutionum Apostolicarum in lib. 8. cap. 34. meminit precatationum faciendarum, *mane, tertia hora, ac sexta, & nona, & vespere usque ad galli cantum.* Adde his sermonem 55. de tempore inter Opera S. Augustini, & canonem 9. dist. 92. Verùm nec modus idem apud omnes in hoc peragendo munere perpetuò servatus est, nec eadem orationes apud omnes præterque Clericos beneficia possidentes recitata: nam olim universi Clerici, ne uno quidem excepto, quotidie statis horis conveniebant in Ecclesiam causa psalmodiæ, ac publicarum orationum, eorumque exemplo universus etiam populus ad simile peragendum religionis officium concitabatur. Sed tepescente in res divinas charitate, ubi minor fuit populi frequentia, plures etiam ex Clericis, præsertim qui à communione vitæ recesserant, à quotidianis sacris laudibus cessaverunt. Interea monachi præter vetustam psalmodiæ rationem, aliam, institutore Petro Damiani, Ecclesiæ sæcu-

lo undecimo invexerunt sub nomine Officii B. Mariæ, atque horum exemplo Clerici quidam, præcipuè ad communionem vitæ eo tempore reduces, pias easdem orationes unà cum ordinaria divinarum laudum recitatione junxerunt, saltem certis diebus; alii ita novo ritui adhæserunt, ut prætextu singularis in B. Mariam devotionis ordinariam psalmodiam omitterent: alii denique, qui in communem vitam redigi non potuerunt, ab utroque sacræ laudis genere abstinerunt, allegantes, modò se tantum in minoribus ordinibus constitutos, modò se tenui beneficio donatos. In Concilio Lateranensi sub Innocentio III. hæc dolebant Ecclesiæ Patres, uti liquet ex cap. 9. de celebration. Missar., quo constitutum fuit, ut singuli Clerici, potissimum verò Ecclesiarum Prælati, nocturnum pariter, & diurnum officium studiosè celebrarent, pœna indicta suspensionis adversus inobedientes. Observandum sanè est in conspectu ejus canonis, agi ibidem de divino officio publicè in Ecclesia celebrando; item divini officii partem fuisse Missarum celebrationem. Hanc Lateranensis Concilii sanctionem præsius etiam urgere visi sunt Viennenses Patres sub Clemente V., quemadmodum adparet ex Clement. unic. de celebrat. Missar. In Concilio quoque Coloniensi anni 1280. can. 1. Clericis omnibus, iis præsertim, qui essent in sacris ordinibus, vel in beneficiis constituti, præceptum est, *ne horas Canonicas, & de Domina nostra ulla unquam die dicere præmittant,* quod præceptum renovavit Basileense Concilium sess. 22. cap. 5., ubi tamen nihil statutum adparet de officio B. Mariæ: tantum decretum, ut *quicumque beneficiati, seu in sacris constituti diurnum, nocturnumque officium peragant:* atque idipsum confirmavit Concilium Lateranense sub Leone X. sess. 9. §. *Statuimus,* in quo beneficiariis divinum officium non recitantibus pœna indicta est amissionis fructuum. Tandem Pius V. anno 1571. 18. Kalend. Octobris relata Concilii Late-